



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnis Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

28 Martii. 5 Kal. April.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](#)

306 ANNI CÆLESTIS

S. MARIA, cuius salutatio An-  
gelica, Ave MARIA, lingua hodi-  
mortui clientis tui, literis aureis in-  
scripta, reperta est. Inscribe linguam  
meam, cor meum, animam meam: hu-  
omnia tibi transcribo, & per te offero,  
ad majorem gloriam Dei mei!

28 Martii. 5 Kal. April.

**S**ancte Gunthramne Rex, qui, ut plura  
tibi pro morte, & judicio, au-  
xilia præparares, in egenos, ac tem-  
pla, sanctè prodigus, ostensum  
per quietem, & posteà repertum,  
thesaurum opulentissimum, totum  
in pauperes, ac templo effudisti, ha-  
biturus thesaurum in cælo. Ora,  
& doce me, sancte Rex, ut quic-  
quid mihi morienti solatio, vel  
auxilio fore cognovero, id faciam;  
& nunc, seriò, in singulis quæ ago,  
thesaurizem mihi thesauros amoris  
Dei æternos, hic, & in aurea æter-  
nitate. Amen.

Sancti Prisce, Malche, & Ale-  
xander, Martyres, bestiis dati.

Sancti Castor, & Dorothee,  
Martyres.

Sancti Rogate, Successe, & alii  
sedecim Martyres.

S. Sixte tertie, Papa.

S. Spes,

S. Spes, Abba patientissime, in longâ quadraginta annorum cæcitate, à quâ diuinitus tandem curatus es: cuius anima, in columbæ specie, visa est in cælum ascende-re.

S. Conon, qui nobilissimos parentes reliquisti, factus S. Basiliī filius, permotus auditâ illâ Evangelii sententiâ: *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.* qui Religiosum quendam ad mentem revocâsti, dum, ob pecuniam ab illo congestam, vidisti dæmonem, serpentis instar, illius gutturi circum datum: qui ferreo cingulo adeò utebaris, ut sub eo vermes, è carne tuâ putridâ, nascerentur: qui fœminam, pudicitiæ tuæ impudicam, & mendacem calumniatricem, ideoque à dæmone obseßam, mox innocentiæ tuæ testem, à dæmone liberâsti: qui Præfecti filiam ab apoplexiâ, educto ex illius auribus pal mari verme, sanâsti; magnus contra dolores aurium, dæmonesque patronus: cui, in ecstasi posito, Angelus nuntius mortis fuit, quam cælesti afflatus fragantiâ, genibus humi fixis, campanis sponte sonantibus, obiisti.

OMNES

Spes,

308 ANNI CÆLESTIS  
OMNES SANCTI, &c.  
pag. 44.

S. MARIA, que cum orante ho-  
dierno, elevato à terrâ, cliente tuo, in  
imagine loqui es visa; quo virois, qui  
calumniam in illum moliebatur, ab-  
territus est. Eleva cor meum à terrâ  
defende me, doce me tecum loqui!

29 Martii. 4 Kal. Apr.

S. Eustachi Abba, sexcentorum  
fermè monachorum sancte ma-  
gister; tu idem divine morborum  
medice: quem, per quietem sibi of-  
fensum, vidit puella ægra, vocem-  
que audivit: *Quodcumque tibi dixerit*  
*vir iste, fac;* quam tu posteà vigilem,  
à febri, oculorūmque caligine per-  
sanâsti: qui æger, per visionem  
nocturnam interrogatus, an per  
quadraginta dies remissius, an per  
triginta acriùs, torqueri doloribus  
velles? acriores triginta dierum  
dolores elegisti, trigesimo pòst die-  
tem moriturum dicens, ac te parans,  
atque tunc extinctus. impetra mi-  
hi, ut quicquid mihi, sive per in-  
spirationes, sive per suos vicarios,  
dicit Deus, obedienter faciam; &  
quicquid ago, vel patior, sit mihi  
pretiosa occupatio, ad mortis feli-  
cissime